LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DE SUPELLECTILI IN HOMERI ILIADE ET ODYSSEA ILLUSTRANDA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS A SE POSITIS

DIE XI M. JAN. A. MDCCCLXVI HORA XII.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS VOGEL,

TAUCHANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. KRAFT, doct. phil.

H. SCHREYER, cand. theol. et phil.

HALIS,

FORMIS HEYNEMANNIANIS.

PATRI OPTIMO

AUCTOR.

In tractandis et Graece et Latine scriptis nullo modo carere possumus antiquitatum notitia, quia non modo delectationem nullam afferunt, sed ne intelligi quidem possunt praeclarissima illa opera hac parte studiorum et litterarum omissa. Jam cum et consilio et fortuito multa ex antiquis temporibus prodita sint, quibus, qui ad id studium animum attendere vult, instituitur atque docetur, factum est, ut antiquitatum scientia magna ex parte plana et aperta sit. At in adhibendis illis fontibus multas cautiones habere debemus, nam fugere nos non potest non satis instructos vel deceptos interdum fuisse eos, qui antiquitatibus scribendis operam navaverint, deinde id spectandum est haud raro scriptores a vero digressos esse, quo probabiliora reddant ea quae persuadere velint. Quod cum animadvertissent viri docti falsa quam maxime tollere studuerunt, cumque hoc opus difficillimum sit abjecta sunt persaepe ea, quae accuratiori inquisitione instituta probanda visa sunt et fide digna. Jam cum Homerus sit antiquissimus scriptor cumque Ilias et Odyssea illorum temporum sint unica monumenta, ita ut tota interpretatio in cognoscendis carminibus ipsis posita sit, mirandum non est, quod in illis explicandis viri docti creberrime inter sese dissentiunt. Quae quidem difficultates, quamvis augeantur praeterea ea re, quod textus variis locis corruptus est haudquaquam delectationem illorum clarissimorum poematum tollere possunt, praesertim cum ob poetae accurate scribendi rationem tractatio Homericorum carminum mirificum in modum sublevetur. In primis epitheta magni momenti habenda sunt, quae ad diligenter observantis animum imagines

certas et perspicuas referunt. Quae cum adjumenta in Homericis carminibus extent spero me propositum perquirendi et explicandi, quae sit supellex descripta in Iliade et Odyssea exsecuturum esse, ad quod consilium adductus sum singulari Homericorum carminum praestantia, in quibus vix invenire quidquam possumus, quod tractatione dignum non videatur. Quo in opusculo conficiendo non negligendas esse mihi puto et antiquorum et recentium hominum doctissimorum indagationes, qui multi sese ad studium Homericorum carminum converterunt.

Disputationem ita instituendam esse existimo, ut primum de sede, deinde de lecto, postremo de supellectili ad cenam pertinenti disseram. Cui tertiae parti cum adnumeranda videantur vasa ad lotionem spectantia (nam cenis antecedere solebant lotiones cf. Il. X, 572 seqq. Od. X, 360 seqq.) pauca restant quorum tractationem ab eam caussam omittam, quod partim simplicissima constructione sunt neque apta ad cognoscendam vitam quotidianam Homericorum heroum (*χηλός*, *πέλλα* al.) partim ad artes exercendas (*ἱστός*, *ἠλακάτη*) magis quam ad supellectilem referenda videntur.

De sede.

Eorum sedilium, quibus Homerici heroes utebantur varia genera extant, quae etiam posterioribus temporibus distinguenda sunt. Jam adjiciendum hoc loco videtur, cenantes, qui in Iliade et Odyssea ante oculos ponuntur considere solitos esse in conviviis, posteriores vero Graecos epulantes accubuisse, quo factum est ut scriptores inferioris aetatis sedilium artifice et ingeniose factorum fere nullam mentionem faciant, sed frequentissime lectulorum usum in cenis commemorent. Inter omnia sedilia, quae in Homericis carminibus describuntur primum locum obtinet *θρόνος*, quod nomen, unde ortum sit postea dicetur. Insidendi causa thronum constructum esse, colligitur e verbo *ἕζεσθαι*, quo *θρόνου* usus indicatur sicut Il. XV, 150. Od. XX, 134. Praeter cetera sedilia *θρόνος* eximia magnitudine erat; id quod apparet ex epitheto *ὑψηλός*, quod appositum est verbo *θρόνος* Od. VIII, 422, cujus altitudinis caussa scabellum applicatum erat, ut dicit poeta Od. I, 131 — *ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν*, per quod ascendere debebant ii, qui *ἐν θρόνῳ* considere voluerunt. Optimum vero argumentum, quantum hoc sedile fuerit invenitur Od. XXII, 361 seq., ubi *θρόνος* receptaculum Medontis est, qui quamvis sese admodum complicans majore spatio indigebat, quam quod in sedilibus invenire soliti sumus. Jam cum heroica aetate iis rebus quibus praestantes viri uti solebant eorum nobilitas et virtus indicaretur ob altitudinem *θρόνος* proprium sedile est et Deorum et principum virorum. Augebatur praeterea solii altitudine parata majestas splendore maximo, quem opifices adhibuerunt, unde *θρόνος* multa epitheta habet, sicut: *ξεστός* (Od. XVI, 408), *εὐποίητος* (Od. XX, 150), *ἀργυρόηλος* (Il. XVIII, 389), *καλός*, *δαιδάλεος* (Il. XVIII, 390), *περικαλλής* (Od. XXII, 438). Adjectiva *φαεινός*,

σιγαλόεις (Od. V, 86) aptius ad stragulas vestes, de quibus in sequentibus tractabitur, quam ad solium referri existimo, quorum epithetorum de originibus disseruit Curtius Gr. Etym. I, 262. II, 186. Praeterea disputaverunt de his verbis Nitzschius comment. ad. Od. VI, 26, 316 et Heynius comment. ad. Il. V, 226. Deorum qui multo majores sunt quam homines solia nominantur *χρύσεα* et *ἄφθιτα* (Il. XIV, 238), unde ortum est epitheton, *χρυσόθρονος*, quo illustrantur Juno, Diana, Aurora. Quia tam honoratum sedile *θρόνος* erat advenientibus quoque offerri solebat hospitibus, ut docemur Achillis verbis, qui Priamum appropinquantem alloquitur Il. XXIV, 522: *ἀλλ' ἄγε δὴ κατ' ἄρ' ἕζευ ἐπὶ θρόνου·* — Eandem hospitis excipiendi rationem Telemachus confert in Minervam, quae Mentae persona utitur Od. I, 130 seq. Quamquam solium ita construebatur, ut magnificum esset adspectu, tamen nullo modo commoditas neglecta erat, quare Juno judicat thronum esse donum, quo Somnum, inertissimum Deum sibi conciliet, quod legitur Il. XIV. 238 seqq. Iisdem e versibus concluditur, scabellum quod supra diximus affixum esse ob commodiorem ascensum eam quoque utilitatem afferre, ut insidentium pedes ibi conquiescerent. Duae igitur inveniuntur caussae, cur *θρῆνυς* solio adhibitus sit, unde duplicem interpretationem viri docti instituerunt. Eustathius enim hujus verbi originem explicavit ad Il. XIV, 240: *τινὲς δὲ ἀπὸ τοῦ θορεῖν ἄνω αὐτοῦ τοῖς ποσὶ δηλαδή*, ita ut nomen ortum esset, quod ad insiliendum in solium applicatus erat *θρῆνυς*, alio vero loco (ad Od. IV, 51) Athenaeum secutus est, qui de solio et scabello verba facit V, p. 192. e: *ὁ γὰρ θρόνος αὐτὸ μόνον ἐλευθέριός ἐστι καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ, ὅπερ θρῆνυν καλοῦντες, ἐντεῦθεν αὐτὸν ὠνόμασαν θρόνον τοῦ θρήσασθαι χάριν, ὅπερ ἐπὶ τοῦ καθέζεσθαι τάσσουσιν, ὡς Φιλητᾶς·*

θρήσασθαι πλατάνῳ λασίῃ ὕπο.

Hic igitur explicatum est verba *θρῆνυς* et *θρόνος* derivanda esse a verbo *θρήσασθαι* et aeque ob communem etymologiam utramque vocem de sedilibus intelligi posse, sed loquendi consuetudine factum est, ut *θρῆνυς* pro scabello poneretur. Et scamnum quidem insidentium in usum institutum ille *θρῆνυς* videtur esse in quem Ajax sese recipit Il. XV,

728 seq.: *ἀλλ' ἀνεχάζετο τυτθόν, ὀϊόμενος θανέεσθαι*
θρῆνυν ἐφ' ἑπταπόδην, λίπε δ' ἴκρια νηὸς ἐΐσης.

Quibus de versibus verba facta sunt in Etymologico magno sub verbo *θρῆνυς*: *Βέλτιον δὲ θρῆνυν καλεῖσθαι ὑπὸ Ὁμήρου τὰς καθέδρας τῶν ἐρετῶν ἀναχωρῶν γὰρ ἀπὸ τῶν τῆς νεὼς καταστρωμάτων ἐπὶ ταύτην ἀφικνεῖται. Τινὲς δὲ τὸν τόπον τῆς νεὼς βάσιν ἔχοντα, ἐφ' οὗ τὸν κυβερνήτην τοὺς πόδας τιθέναι, ὃ καὶ ἑδώλιον φασίν. Ἄλλοι δὲ τὴν ὑποδεχομένην τὸν ἱστὸν τράπεζαν εἶπον· οἱ δὲ διαβάθραν ἀπὸ νεὼς ἐπὶ νῆα.* Primo loco prolatam sententiam sustinendam esse puto, nam de sedili remigum etiam Apollonius Sophista hunc *θρῆνυν* intellexit in Lexico Homerico, etsi ejus opinio non satis congruit cum nostra interpretatione. Ei enim *θρῆνυς* videtur esse: *ἡ μέση τῆς νεὼς καθέδρα, ἡ ἐν τῷ πλοίῳ ἀπὸ τοῦ τοίχου ἐπὶ τοῖχον διάβασις·* Verisimile est paullatim oblivioni datum esse, unde *θρῆνυς* nomen acceperit, quia ad pedes tandem spectare videbatur et multi putabant verbo *ὑποπόδιον* idem contineri atque verbo *θρῆνυς*. Ad solium, quod secundum Junonis promissum Vulcanus Somno constructurus erat debebat scabellum affigi, quod alia conditione Juno dicere non poterat: *ὑπὸ δὲ θρῆνυν ποσὶν ἥσει.* Id cadere non videtur in thronos, quibus insidebant Penelopes proci, nam illos magna ex parte *θρόνους* usurpavisse demonstrat versus saepe iteratus (Od. I, 175, III, 389 al.): *ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.*

Horum soliorum scabella applicata non erant, ita ut Antionous *θρῆνυν* vibrare posset in Laertae filium Od. XVIII **462**: *Ὣς ἄρ' ἔφη, καὶ θρῆνυν ἑλὼν βάλε δεξιὸν ὦμον,*

Hic, quod jacitur scabellum, *θρῆνυς* nominatur, aliis locis legimus procos conjecisse in adversarios *σφέλα*, quae quidem pro scabellis quoque habenda sunt. Invenitur verbum *σφέλας* Od. XVII, 231 seq. Od. XVIII, 394. Eustathius ad. Od. XVII, 462 originem verbi *σφέλας* ducendam esse prodidit a verbo *σφάλλειν*: *διὰ τὸ ῥᾷον σφάλλεσθαι, ἤγουν ἀνατρέπεσθαι διὰ σμικρότητα, ἢ καὶ διὰ τὸ δύνασθαι σφῆλαι·* Et probanda est etymologia verbum *σφέλας* a verbo *σφάλλειν* derivari, sed parum rectas interpretationes addidit Eustathius, ut originem nominis *σφέλας* explicaret. Nam neque altera opinio verbo *σφέλας* indicari instabilitatem scamni laudanda videtur, neque altera sententia

mihi placet θρῆνυν nominari posse σφέλας, quod a procis pro jaculamento ille usurpatus sit, quo quis labefiat, etsi hujus rei argumentum videtur esse, si de effectu, quem missus θρῆνυς habet poeta verba facit Od. XVII, 468:

οὐδ' ἄρα μιν σφῆλεν βέλος Ἀντινόοιο·

Sententiam admodum probabilem protulit Buttmannus (Lexil. II, 163), qui vir doctissimus verbum προσφάλλειν interpretatus est verbo προπηλακίζειν, Latinum „proculcare," nostrum „mit Füssen treten." Praeterea diligenter observavit Buttmannus, quo modo verbum σφέλας (ΣFΕΛΑΣ) aliis in linguis mutatum sit. Et in nostra quidem lingua ad verbum σφέλας referendum est verbum „Schwelle" in Latino sermone respondent ei verba „solium" et „solea" ubi mutata est littera v in o. Verba igitur, quae ejusdem stirpis sunt atque σφέλας communem admittunt interpretationem, indicant aliquid, quod pedibus teri solet. Itaque horum verborum analogia docet sensum verbi σφέλας nullum alium esse quam verbi ὑποπόδιον, quod a posterioribus pro Homerico verbo θρῆνυς ponebatur. Heroicae aetatis opifices, qui scabellis exstruxerunt solia haud dubie etiam reclinatoriis et anconibus illa exornaverunt, ita ut quae Homerus descripsit solia simillima essent iis, quae postea fabricabantur.

Varia sunt peristromata, quae θρόνῳ injici solent, sicut Euryclea ante oculos ponitur Od. XVII, 32:

κώεα καστορνῦσα θρόνοις ἔνι δαιδαλέοισιν·

κώεα vero sunt pelles molles, quae plerumque ovillae videntur fuisse. Saepe eundem in usum abhibebantur τάπητες, quo verbo stragula indicantur. Haud dissimilis fuit χλαῖνα, quadratus pannus, qui non solum usitatissimus Graecorum amictus erat, sed etiam saepe supra solium expandebatur (Od. XVII, 86. 476. XX, 249). Textum laneum fuit χλαῖνα, quod ex ipso nomine intelligitur, nam χλαῖνα nihil aliud est quam lana, praeterea commemoratur (Il. X, 134). Nestoris pallium admodum laneum fuisse. Non satis certe exquiri potest, quomodo χλαῖναι et τάπητες inter sese differant, nam etsi τάπητες lanei sunt et eodem epitheto οὖλος (Od. IV, 299) quo etiam χλαῖναι utuntur, illustrantur, disjungendi tamen videntur τάπητες et χλαῖναι, quia haud raro narrat Homerus hospiti utriusque straguli eun-

dem numerum dono datum esse, sicut Il. XXIV, 230 et. Od. XXIV, 276. Quae differentiae inter haec stragula extant, eas ortas esse existimo maxime ob eam caussam, quod *τάπης* locum tantum habet inter supellectilem domesticam, cum *χλαῖνα* praeterea sit pallium Homericorum heroum. Majore ob id forma videtur fuisse *χλαῖνα* quam *τάπης*, quare *ἐκταδίη* (Il. X, 133) et *μεγάλη* (Od. XIV, 521) nominatur immo tantae *χλαῖναι* fabricabantur, ut duplicari possent, quale fuit Nestoris pallium (Il. X, 133), cujus epitheton *διπλῆ* explicatum est Beckeri in schollis ad Il. X, 134: *τὴν μεγάλην, ὥςτε καὶ διπλῇ αὐτῇ χρώμενον ἔχειν ἐκτεταμένην.* Jam cum *χλαῖνα* nominetur *πυκνή* (Od. XVI, 521) et *ἀνεμοσκεπής* (Il. XVI, 224) debebat ea arctissima textura esse, *τάπητες* contra illis epithetis carent. Apparet *χλαινῶν*, sicut apud nos palliorum diversas fuisse species, lautiores, viliores, crassiores, nitidiores, neque *τάπητες* ad unum omnes modum conficiebantur, poeta vero in primis splendidiores stragulas vestes spectavit, quod victum hominum locupletioris conditionis ante oculos posuit. Itaque purpura tinctos Homerus commemoravit *τάπητας* et *χλαίνας*, neque quidquam inest varietatis, si verbum *χλαῖνα* adjectivo *φοινικόεις* (Od. XXI, 118), verbum *τάπης* epitheto *πορφύρεος* (Il. IV, 200) illustratum est, quibus verbis aeque purpureus color indicatur.

Satis argumentorum in Iliade et Odyssea invenitur, ut statuere possimus verba *τάπης* et *χλαῖνα* de stragulis dici, majorem vero in difficultatem incurrimus verbi *ῥῆγος* inquirentes significationem. Duplicem modum hujus verbi interpretandi prodidit Eustathius ad Il. IX, 657: *ῥῆγος δὲ, οὗ καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ χρῆσις, ὡς μέν τινες, τὸ σαγίον διὰ τὰ ῥήγματα τῶν κροσσῶν, ὡς δὲ ἕτεροι, τὸ βαπτὸν ὕφασμα παρὰ τὸ ῥῆξαι, ὃ ἦν βάψαι παρὰ τοῖς παλαιοῖς.* Eustathius vero professus non est, quid ipse censeret et fluctuasse videtur inter hanc utramque sententiam. Et de ea quidem re hae duae opiniones inter sese consentiunt verbum *ῥήγεα* dici de stragulis, id quod uno loco *σαγίον*, altero loco *ὕφασμα* indicat. Jam recentiorum virorum doctorum nonnulli recte id sese habere negant rati Homerum verbo *ῥῆγος* pulvinum significasse (cf. Grasshoff Düsseldorfer Programm 1858: „Ueber Homerisches Hausgeräth.“) Et mirum videtur, quod heroica aetas omnino pulvinorum usum

ignoraverit, cum aliarum rerum majorem quam exspectamus luxum et commoditatem animadvertimus. Quare qui repugnant sententiae ab Eustathio prolatae ῥήγεα pannos esse, contendunt illud verbum significare pulvinos, quos frustra in Homericis poematis quaerimus. Quae opinio ob eam caussam difficilius est refutanda, quod nisi in Homeri carminibus verbum ῥῆγος nusquam invenimus, neque ea verba, quae ejusdem stirpis sunt atque verbum ῥῆγος saepe adhibentur, ut apud unum Anacreontem semel tantum legitur verbum ῥέγος (E. M. 703, 28) itemque verbum ῥέγμα apud Ibycum (E. M. 703, 32). Recte in his verbis librariorum varietatem scripturae notavit Heynius ad Il. IX, 657. At sufficiunt jam ea, quae in Homericis carminibus ad verbum ῥῆγος pertinent, ut negare possimus illo verbo pulvinos indicari, nam Od. VI, 38 ῥήγεα σιγαλόεντα a Nausicaa iis adduntur vestimentis, quae ad lavationem vehuntur. Jam praeterea ob Homeri accurate scribendi rationem colligi vix potest poetam differentiam quanta est pulvinorum et stragulorum temere neglexisse, ita ut legentes nullo modo animadvertere possint verbo ῥῆγος aliud quid dici atque verbis χλαῖνα et τάπης, quare nullo modo fallimur, si censemus ῥῆγος quoque stragulum indicare. Jam postquam explicatum est, quibus e caussis ῥήγεα de textis intelligenda sint, restat ut etymologias perstringamus quibus nomen ῥῆγος ab Eustathio definitur. Quarum si priorem rectam habemus, nomen exstitit ob ῥήγματα τῶν κροσσῶν, id est ob flocculorum laneorum fissuras et sensus verbi ῥῆγος congruit cum adjectivo οὖλος. Quod quidem placuit Nitzschio ad Od. III, 349, at si alia recentium doctissimorum virorum judicia intuemur (Curtius Griech. Etym. No. 154 et No. 651) conjunctio nulla verbi ῥῆγος sum stirpe Ϝραγ extare videtur et probabilius habemus illud verbum derivari a radice ῥεγ. Id optime quadrat in alteram Eustathii sententiam, nam etiam apud posteriores tinctor appellabatur ῥαγεύς quod idem est atque rarius usurpatum verbum ῥηγεύς, ita ut scholiastae relatione non offendamur ῥῆξαι quondam positum esse pro verbo βάπτειν. Accedit ad id quod vocatur ῥῆγος Od. X, 353 πορφύρεον, sicut Anacreon et Ibycus: ἁλιπόρφυρον ῥέγος et ποικίλα ῥέγματα (E. M. 703, 28—32) dicunt, unde firmatur coloratum hoc stragulum fuisse neque offendi debemus

ea re, quod duo verba idem significantia composita sunt, nam saepissime Homerus verba, quae eundem sensum praebent conjunxit, sicut θηλύτεραι γυναῖκες (Od. XI, 286.) et θνητὸς βροτός (Od. XVI, 212.), deinde accuratius exprimit verbum πορφύρεος, quale pigmentum adhibitum sit, cum verbo ῥῆγος color certus non indicetur.

Praeter lanea peristromata panni lintei soliis supersternebantur, qui aut adduntur ad ῥήγεα sicut Od. X. 352 seq.:

τάων ἡ μὲν ἔβαλλε θρόνοις ἔνι ῥήγεα καλά,
πορφύρεα καθύπερθ', ὑπένερθε δὲ λῖθ' ὑπέβαλλεν·

aut unicum tegumentum solii efficiunt Od. I, 130 seq.

αὐτὴν δ' ἐς θρόνον εἶσεν ἄγων. ὑπὸ λῖτα πετάσσας,
καλόν, δαιδάλεον·

Hoc loco facere non possum, quin commemorem errorem, in quo omnes horum versuum interpretes versati sunt, priusquam Wolfius lucem attulit (Wolf Liter. Analect. IV, p. 501 — 509). Priores enim haec verba verterunt: „collocavit in thronum stragulo substrato, pulchro, ingeniose facto.“ Adjectiva καλόν, δαιδάλεον referebant ad verbum λῖτα, quod censebant accusativum singularis verbi λίς esse et magnam in difficultatem adducebantur explicandi, quemnam in usum solio Minervae injiceretur linteum, quo nullo modo commodius illud fiebat. Wolfius vero summo ingenio usus diligenter omnibus locis, quibus λῖτα legitur, compositis, reperit hoc verbum esse accusativum pluralis generis neutrius et magnum linteorum copiam Telemachum throno imposuisse, si legitur: ὑπὸ λῖτα πετάσσας,“ Quam ob caussam adjectiva καλόν, δαιδάλεον non spectant ad λῖτα, sed ad θρόνον et ut saepe fit in Homeri poematis verba λῖτα πετάσσας posita sunt, ut Graeci dicunt, ἐν παρενθήκῃ. Satis molle tali modo factum est sedile Minervae, ita ut stragulis opus non esset, quae illis temporibus pro pulvinis usurpabantur.

Creberrime inveniuntur in Odyssea versus Od. I, 145 al:

ἑξείης ἕζοντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε,

et Od. XVII al:

χλαίνας μὲν κατέθεντο κατὰ κλισμούς τε θρόνους τε.

Eundem in usum illis locis θρόνος atque κλισμός institutus est, ita ut horum sedilium differentia non magna esse vi-

deatur. Qua vero in re *κλισμοῖ* proprietas conspiciatur docemur ab Athenaeo, qui in loco supra citato (V, p. 192 f.) postquam de solio verba fecit, continuat sermonem: *ὁ δὲ κλισμὸς περιττοτέρως κεκόσμηται ἀνακλίσει.* Praecipua igitur hujus sedilis commoditas, ut verba *περιττοτέρως ἀνακλίσει* docent, efficiebatur reclinatorio, quod videtur majus fuisse in *κλισμῷ* quam in *θρόνῳ*. Hoc sedile ad reclinandum aptissimum esse apparet etiam usu, in quam *κλισμός* a Penelope vertitur Od. XVII, 96 seq.:

μήτηρ δ' ἀντίον ἷζε παρὰ σταθμὸν μεγάροιο
κλισμῷ κεκλιμένη.

Atque nomine expressum est, quid verbo *κλισμός* significetur, cum facile sit intellectu arctissime illud cohaerere cum verbo *κλίνειν*. Haud dubie minor sella *κλισμός* fuit quam *θρόνος*, sed nonnunquam tanta erat, ut ei aeque ac solio *θρῆνυς* adhiberetur (Od. IV, 136). Quod ad ornatum attinet, non multo minorem industriam desiderabat *κλισμός* quum *θρόνος*, quare Deorum *κλισμοί* nominantur *χρύσεοι* (Il. VIII, 436), quos vero homines habent epithetis *ποικίλος* (Od. I, 132) et *πολυδαίδαλος* (Il. XXIV, 597) illustrantur. Ut par est etiam *κλισμός*, qui commoditatem maxime spectat stragulis supersternebatur, nam aliter intelligendum non est si legati ad Achillem missi (Il. IX, 200) considunt *ἐν κλισμοῖσι τάπησί τε πορφυρέοισιν.*

Non magnam differentiam invenimus inter verba *κλισμός* et *κλισίη*. Telemachum et Pisistratum Ulixis reditum quaesituros Helena amanter excipit et quo diutius eorum conversatione uti possit ab ancilla ei sella apponitur. Quae cum prioribus versibus (Od. IV, 123) *κλισίη* nominetur, nihilo minus in sequentibus (v. 136) de Helena dicitur „*ἕζετο δ' ἐν κλισμῷ*," itaque hoc loco *κλισίη* idem valet atque *κλισμός*, nisi forte arbitramur Helenam alia in sella consedisse, quam in ea, quam sibi afferri jussit. Raro *κλισίη* commemoratur a poeta atque hoc loco excepto semel tantum (Od. XIX, 55) extat, quare cum praeterea utrumque verbum a verbo *κλίνειν* derivatum sit, rarius usurpatam formam pro verbo *κλισμός* verbum *κλισίη* esse existimo, quod si recte sese habet promiscuus usus verborum *κλισίη* et *κλισμός* (Od. IV, 123. 136) nihil offensionis praebet.

Eam, quam Penelope habet *κλισίην* sive *κλισμόν* eximia cum arte fabricavit Icmalius (Od. XIX, 55 seqq.) et pulcherrime exornavit, quod verba demonstrant: *δινωτὴν ἐλέφαντι καὶ ἀργύρῳ*. His vero verbis non exprimitur totam sellam argenteam atque eburneam fuisse, sed variis tantum locis ornamenta ex argento et ebore facta insita erant, sicut *θρόνοι ἀργυρόηλοι* saepius inveniuntur.

Pauca dicenda videntur de verbo *κλιντήρ*, quod legitur, ubi Minerva Penelopae somnum affert Od. XVIII, 189 seq. Poeta de lecto locutus esse non videtur, etsi illud quidem in errorem adducere nos potest, quod Ulixis uxor quieti ibi se tradidit, at Penelope inopinans somno oppressa est neque potestas ei fuit in lectum sese conferendi. Jam cum concedendum non sit, Penelopen cujus magna industria persaepe laudatur, sellam dormitoriam usurpasse, videtur illo in sedili, ubi laborare solebat somno capta esse, quod si comprobamus verbum *κλιντήρ* idem significat atque verba *κλισμός* et *κλισίη*. Neque de lectis dormitoriis dici mihi videtur apud posteriores scriptores (Theocr. II, 86. Luc. Conv. 44. Anecdot. Graec. Bekkeri 272, 19.) verbum *κλιντήρ*, quare recte explicatur a grammaticis (E. M. 690, 60): *ὁ θρόνος, ὁ ἔχων πρόςκλιντρον*.

Vilior sella quam *κλισμός* esse solet *δίφρος*, ut dicit Athenaeus in comparatione Homericorum sedilium (Athen. V, p. 192 f.): *τούτων δ' εὐτελέστερος ἦν ὁ δίφρος*. Persaepe et partem currus et currum ipsum verbum *δίφρος* indicat, sicut Il. V, 727 seq.:

δίφρος δὲ χρυσέοισι καὶ ἀργυρέοισιν ἱμᾶσιν
ἐντέταται·

et Il. X, 205: *δώσω γὰρ δίφρον τε, δύω τ' ἐριαύχενας ἵππους*.

Contracta est forma *δίφρος* pro *δίφορος*, quod verbum compositum est e verbis *δύο* et *φέρειν*, ut explicat Eustathius ad Il. III, 261 et plane ab illo existimo sublatas esse difficultates, quae fieri videntur verbi *δύο* mutata litera *υ* in *ι* comparatione similium verborum instituta. Jam currus ob eam caussam *δίφρος* sive *δίφορος* nominatus est, quod duos viros ferre solebat et eum, qui regebat equos quique vocatur *ἡνίοχος* et pugnatorem, qui *παραιβάτης* dicitur. Atque etiam in sellam, cui nomen est *δίφρος* cadere videntur Eustathii verba, formam

δίφρος positam esse pro verbo *δίφορος*, nam verisimile est haec sedilia saepe ita constructa esse, ut duo homines eodem tempore ibi considere possent. Talem sellam puto fuisse eam, de qua legitur apud Menandrum (Meineke Fr. CCXXII):

Ἐκάθηντ' ἐπὶ δίφρου μήτηρ τε καὶ παρθένος.

Consentire mecum existimo grammaticum a quo (E. M. 275, 38.) Menandri verba citantur eo loco, ubi *δίφρος* tractatur, qui speciem sedilis praebet. Nihilominus etiam *δίφροι* vocari potuerunt ea sedilia, quae minora erant, quam ut duos homines simul excipere possent, sed ab illis amplioribus ob similitudinem quandam nomen acceperunt. Athenaei sententia viliorem fuisse *δίφρον* quam *κλισμόν* et *θρόνον* ob eam caussam maxime probabilis est, quod haec sella reclinatorio exstructa fuisse non videtur, ut omnino *δίφρου* minor erat commoditas quam aliorum sedilium. Accedit ad id quod humile sedile fuit *δίφρος*, nam nusquam in Homeri carminibus legimus ad *δίφρον* appositum esse scabellum, quod in altioribus sedilibus necessarium fuit, quare haud multa materia opus erat, si quis *δίφρον* fabricare voluit. Neque ea res dubitationem nobis afferre debet, quod Od. XXI, 177 *δίφρος* nominatur *μέγας*, nam ille *δίφρος* quum Melanthius Antinoo affert, magnus tantum extat, si comparatio instituitur cum sedilibus, quae formam *δίφρου* habent. Quod ad ornatum attinet, cavendum est ne arbitremur minimi pretii fuisse *δίφρον*, sed plerumque speciosus ille fuit, unde epitheta orta sunt: *εὔξεστος* (Od. XVII, 602.) et *περικαλλής* (Od. XX, 387.). Excipiendus est *δίφρος* Ulixis mendici, qui (Od. XX, 259) *ἀεικέλιος* vocatur, tales vero sellae pariter rarae erant in andronitide Ulixis atque exiguae mensae, qualis Laertae filio apponitur a Telemacho. Etiam ex ea re concludi potest, contemtum hoc sedile non fuisse, quod Helena Hectorem considere jubet (Il. VI, 354.) *ἐπὶ δίφρῳ*, nam notum est, quem amorem et verecundiam mariti fratris illa habuerit (cf. Il. XXIV, 762. 775.). Admodum elegans fuit *δίφρος* et locupletioris tantum conditionis hominum in aedibus locum habuit, ita ut Eumaeus ne Telemacho quidem sellam offerret (Od. XVI, 47.), sed ille in subulci tugurio commorans contentus esse deberet strage sarmentorum, cui pellis injecta erat. Itaque quodammodo divitiarum est indicium, si

in aedificiis multi *δίφροι* inveniuntur, sicut Ulixis in domo (Od. IV, 718.). Nullum sellarum genus quae in Homericorum heroum domiciliis inveniuntur a me praetermissum puto, sed antequam hujus partis finem facio, liceat mihi, ut breviter disseram de verbis *ἕδρη*, *ἕδος*, *θῶκος*, quibus et sedes et sedile indicatur. Jam satis a viris doctis demonstratum est verba *ἕδρη* et *ἕδος* a verbo *ἕζεσθαι* (Curtius Gr. Etym. No. 280.), *θῶκος* autem a verbo *θάσσειν* (Buttmann, Lexil. II, 111.) derivari. Versus Il. II, 211 et Od. XIII; 56 seq. ostendunt verbum *ἕδρη* esse usitatissimum, ad significandam sedem, quam usurpabant contionum et sacrificiorum participes. Sed instrumentum quodque, quod ad sedendum aptum est, nominatur *ἕδρη*, quare struesı quam Eumaeus Ulixi paravit ita vocatur Od. XVI, 42. Latiorem etiam sensum, quam verbum *ἕδρη* praebet verbum *ἕδος*, quod significat et sedile (Il. I, 534.) et locum commorationis (Il. V, 360.) et actum quiescendi (Il. XI, 648), saepe etiam usurpatur de solo, ubi aut oppidum aut regio sita est (Od. XI, 263. XIII, 344.). Verbum *θῶκος* dicitur et de loco contionis atque commorationis (Od. XV, 468, XII, 318.) et de contione ipsa (Od. II, 26), uno vero loco promiscue usurpatur pro verbo *ἕδρη* (Od. II, 14.).

De lecto.

Heroica aetate, ut jam supra dictum est in conviviis non accubandi, sed considendi mos erat, quare iis temporibus in dormientium proprium usum lecti construebantur, neque in andronitide collocabantur. Vocabula, quibus lectus significatur *λέχος* et *λέκτρον* ejusdem stirpis sunt, quae duplex forma ob nullam aliam rem, nisi varietatis caussa instituta videtur, cum et idem genus lectorum inveniatur, ubi dicitur *λέχος* et *λέκτρον* et promiscue utrumque verbum adhibeatur (Od. VIII, 269. 292. XXIII, 294. 296.). Antiquiores grammatici verba *λέχος* et *λέκτρον* derivabant a verbo *λέγειν*, quae etymologia probari non potest, quia verbum *λέγειν* cum verbis *λέχος* et *λέκτρον* nullo modo cohaeret. Nam quamquam negant illi (cf. Eustathius ad Il. XIII, 275.) verbum *λέγειν* Homeri temporibus potestatem verbi dicendi habuisse, sed positum esse pro verbo

enumerare, tamen ne illa quidem interpretatio verbi λέγειν apta est, ut conjunctio cum verbis λέχος et λέκτρον appareat, quia illa a sensu enumerandi plane abhorrent. Recte Buttmannus (Lexil. II, p. 91.) cognovit, quae caussa hujus erroris fuerit atque laudabilem etymologiam protulit. Secernendas esse contendit Buttmannus in verbo λέξαι radices λεγ et λεχ, ab altera originem duxisse verba, quibus enumerandi et dicendi vis insit, ex altera vero emanasse verba, quae jacendi sensum habeant. Quam Buttmanni conjecturam secutus est Curtius (Gr. Etym. No. 173.), qui stirpi λεχ ad numerat verba: λέχος, λέκτρον, ἄλοχος, λεχώ, λοχεία, λόχος, λόχμη. Non praetermittendum videtur verbum λέχος, quod in recentioribus scriptis minus usitatum est quam verbum κλίνη, in Homeri carminibus, eodem modo atque illud de feretro dici posse, in quo jacebant corpora mortuorum per propositionis et funeris tempus. Sic Patroclus mortuus, postquam lavatus et unctus est λεχέεσσι imponitur (Il. XVIII, 352.) item Hectoris corpus ab Achille Priamo cum feretro traditur (Il. XXIV, 589.). Omnibus locis, ubi de feretro sermo est pluralis numerus verbi λέχος extat, quod non temere fecisse poeta videtur. Non probanda illorum sententia est, qui de vero lecto ibi verbum λέχεα intelligunt, nam poeta ipse Patrocli feretrum, quod Il. XVIII, 232. λέχεα nominatur φέρτρον appellat (ibid. v. 236).

Homerus, ubi de lecto cubiculari loquitur numerum et singularem (λέχος) et pluralem (λέχεα) adhibuit, cui vario usui nullam differentiam inesse existimo. In lectis fabricandis magnam industriam positam esse exemplum Ulixis docet, qui operam construendi lecti ipse suscepit (Od. XXIII, 189—201.). Ut immobilis lectus fieret, locum elegit Laertae filius, cum domum aedificaturus esset, ubi olea eminebat e terra, cujus, postquam saxeis parietibus circumdata est arbor, cacumen abscidit, ita ut, qui superesset truncus, eam altitudinem haberet, in quam lectum exstruere voluit. Hunc truncum ad amussim circumdolavit, ita ut pulchra ejus forma fieret, deinde reliquas spondae partes affixit. Ligneam spondam illustravit aureis, argenteis, eburneis ornamentis, quae simillima videntur fuisse iis, quorum supra, ubi de sella, quae κλισίη vocatur,

tractavimus, mentio facta est. Nullam difficultatem inesse existimo verbis (v. 201):

ἐκ δ' ἐτάνυσσα ἱμάντα βοὸς φοίνικι φαεινόν,

de quibus recte disputavit Ameisius (ad Od. XXIII, 202). Probabile enim est unum lorum procerissimum, compositum e compluribus particulis, quantae ob corii bubuli longitudinem praeparari potuerunt, Ulixem per lecti latera trajecisse. Quae institarum illigandarum ratio, utrum usitata fuerit an propria Ulixis machinatio dijudicari non potest, quoniam de ea re nihil proditur in Homeri carminibus. Ob numerum singularem *ἱμάντα* nonnulla docti viri (Grasshof Progr. 1858.) de institis poetam locutum esse negant, interpretantes verbum *ἱμάντα* de loro e tecto demisso, quod manibus comprehensum adjumento fuerit in surgendo. Quam vero explicationem artificiosiorem habeo et refutatam verbo *ἐτάνυσσα*, quod (cf. Nitzschius ad Od. I, 138.) dici solet de iis rebus, quae magis in longitudinem quam in altitudinem extenduntur.

Non omnes lectos, ut quem Ulixes composuit immobiles factos esse illiusque constructionem inusitatam habendam e Penelopes verbis colligitur (Od. XXIII, 177 seqq.), quae mariti tentandi caussa Eurycleae praecipit, ut lectum ab Ulixe fabricatum extra dormitorium portet. Quod ad formam lectorum attinet, Laertae filius exemplum aliorum opificum imitatus videtur esse, qui heroica aetate ad eundem fere modum lectos construxerunt atque nostri artifices. Majorem vero industriam et artem antiqui Graeci in ornamentis lectorum ponebant, quae persaepe, ut in Ulixis lecto aurea et eburnea fuerunt. Accedebat ad id ligni satis artificiosa tractatio, quae adjectivo *δινωτός*, id est torno factus indicatur (Il. III, 391.), quo cum verbo paene congruere videtur epitheton *τρητός* (Il. III, 448.). Illud adjectivum cohaerere cum verbo *τρέω*, quod eundem sensum praebet atque *τερέω* et *τιτραίνω* jam Hesychius explicavit, cumque expresse appositum sit ab Ulixe (v. 198): *τέτρηνα δὲ πάντα τερέτρῳ* facile verbum *τρητός* intelligi potest de foraminibus in lecto factis, quorum multa extabant ad transmittendas institas, sed aptius interpretamur hoc epitheton de ligni sculptura, quae passim adhibita erat (cf. Heyne: Var. Lect. et Observ. ad Il. III, 448.). A lignea sponda, nam ea tantum ad

tornum fabricabatur, totus lectus vocatus est *δινωτός* et *τρητός*, sicut Il. III, 391. 447.

Proprie de sponda dicitur verbum *δέμνια* (Il. XXIV, 643. Od. IV, 297.), quod cohaeret cum verbo *δέμειν* (E. M. 255, 44. Rost: Lex. Hom. Pind.); interdum vero latius patet verbi *δέμια* significatio, ita ut totum lectum indicet, sicut Od. VI, 20. Simile quid extat in narratione de stupro Veneris et Martis (Od. VIII, 266—366.) ubi Vulcani lectus et *λέχος* (v. 269.) et *λέκτρον* (v. 337.) et *δέμνια* (v. 296.) nominatur, ibi vero maximi momenti sponda erat, nam ad eam laqueos Vulcanus alligaverat. Non praetermittendum videtur pluralem tantum numerum verbi *δέμνιον* in Homeri carminibus inveniri, id quod in verbo *λέχος* animadvertimus, quoties feretrum exprimit. Ut in exstruendis sedilibus pulvinos desideravimus, ita in lectis quoque sternendis homines heroicae aetatis pellibus et stragulis contenti erant. Quo ordine illa adhibita sint, ut cubile molle et commodum fiat colligitur e mandato Achillis, cujus in tentorio pernoctaturus est Priamus Il. XXIV, 644 seqq. Qui quidem locus, si componitur cum verbis, quae de lecto struendo dicuntur Il. IX, 660 seq., satis docemur, quo modo stramenta disposita sint. Ipsis institis imponebantur pelles et ea stragula, quae *ῥήγεα* vocantur, supra ea sternebantur aut tapetes aut lintea texta, denique addebatur pallium, quod tegumentum dormientis erat. Ad stragulas vestes et pelles, quarum magna copia in lecto sternendo adhibebatur referendum videtur adjectivum *πυκνός*, quod adjicitur verbo *λέχος* (Il. IX, 621. Od. XXIII, 177.). Nam quamquam *πυκνός* etiam ad spondam spectare potest, ut saepius opera e ligno fabricata hoc epitheton habent (Il. XIV, 167. Od. XIII, 68), tamen aptius illud, ubi cum verbo *λέχος* compositum est de strue stramentorum intelligitur, ita ut *λέχος πυκνόν* idem sit atque *εὐνὴ μαλακή* (Il. XXII, 504.).

Nonnulla addenda videntur de cubiculis dormitoriis, quorum homines ditiores alia in aedibus ipsis alia extra domum habebant. Et haec quidem magna ex parte reservabantur ad recipiendos hospites, illa vero in usum quotidianum instituta erant, nam ibi dominus ejusque uxor per noctem somno se dare solebant. Thalamorum internorum aditus per gynaecei parietes

dispositi erant, hospitum contra cubicula intraturi extra aedes progredi debebant. In meridiana aulae parte porticus erat (cf. Nitzsch ad Od. III, 396 seqq.), cui adjacebant dormitoria de quibus intelligenda sunt verba (Od. III, 399): *ὑπ' αἰθούσῃ ἐριδούπῳ*, vix enim concedere possumus Homericos heroes hospites sub divo pernoctare passos esse.

Jam quae dicta sunt de lectis nobis persuadent illorum temporum homines satis prudenter lectos instruxisse, ita ut nullo modo elegantia et commoditas in iis desideretur, quod quidem locupletum tantum in cubilia cadit, quibus multo imperfectiora erant pauperum et servorum stramenta. Ulixes mendicus apud Eumaeum decumbit in pellibus ovillis et caprinis in solum prostratis (Od. XIV, 519 seqq.). Atque etiam deterior servorum domesticorum conditio videtur fuisse, ut e verbis Tiresiae colligi potest Od. XI, 189 seq.:

ἀλλ' ὅ γε χεῖμα μὲν εὕδει, ὅθι δμῶες, ἐνὶ οἴκῳ,
ἐν κόνι ἄγχι πυρός, κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἷται·

Aequam incommoditatem sustinebant milites excubias agentes, nam quamquam ob bellorum diuturnitatem fere iisdem commoditatibus tentoria instituta erant atque aedificia, tamen et in insidiis et in vigiliis faciendis nihil nisi arma et vestimenta secum ferebant milites, quibus, quantum poterant frigus arcebant, sicut Od. XIV, 478 seq.:

ἔνθ' ἄλλοι πάντες χλαίνας ἔχον ἠδὲ χιτῶνας,
εὗδον δ' εὔκηλοι, σάκεσιν εἰλυμένοι ὤμους·

Eadem abstinentia erat militum Diomedis repentinum Trojanorum impetum exspectantium, neque rex ipse molli atque commodo cubili utebatur Il. X, 154 seqq.

Restat ut pauca adjiciam de verbis: *εὐνή*, *κοῖτος*, *κοίτη*, quae ad cubationem spectant. Et latissime patet prima vox *εὐνή*, quae de cubilibus et hominum (Il. XXII, 504.) et bestiarum (Il. XI, 115.) dicitur, imo Eumaeus Melanthii suspensi conditionem (Od. XXII, 195 seqq.) *εὐνήν* appellat. In lecti apparatu *εὐνή* proprie stramenta injicienda significat, unde loquendi forma orta est: *εὐνὴν ἐμβάλλειν* (Od. XXIII, 179). In nautico sermone verbum *εὐνή* dicitur de lapidibus, qui ancorarum loco usurpantur (Il. I, 436. Od. IX, 137 al.). Verborum *κοῖτος* (Od. III, 334.) et *κοίτη* (Od. XIX, 341), quae cum verbo

κεῖσθαι cohaerent (cf. Curtius, Gr. Etym. No. 45.) etymologia sensu quoque firmatur, nam et locum ad dormiendum aptum (Od. XIV, 525) et otium ipsum indicare solent. (Od. XIX, 510.).

De supellectili ad cenam pertinenti.

Ut in omnibus rebus Homerici heroes Deos venerabantur, sic praecipue in cenis eorum memores erant, ut ne proci quidem Penelopes, quorum insolentia magna erat ritus solemnes negligere auderent (cf. Od. XVIII, 425 seq. XX, 250 seq.). Supellex igitur, qua opus erat, quoties convivia instituebantur magna ex parte cultui divino sacrata erat atque interdum Deorum opes et sublimitatem pulchritudine et forma indicabat (cf. Il. XVI, 225 seqq.).

Et de sedilibus quidem jam supra disputatum est, quorum separatam descriptionem instituendam existimavi ob eam caussam, quod frequentissimus eorum usus extra cenarum tempus fiebat; adjiciendum tamen hoc loco videtur in Homeri carminibus *θρόνον* et *κλισμόν* propria esse sedilia, quae adhibeantur in conviviis, ut par erat divitiis eorum hominum, quorum in domiciliis epulae parari solebant.

Notum est Homericos heroes, quamvis large edere soliti sint, simplicibus tamen cenis contentos fuisse, ita ut praeter panem et carnem parvum ciborum numerum habuerint. Panes, qui magni fuisse non videntur ante convivia distribui solebant *καλοῖς ἐν κανέοισιν*, ut saepissime legitur in Iliade et Odyssea (Il. IX, 216 seq. Od. XX, 254 seq. al.). Vas planum et amplum patinae simile *κάνεον* Homericum fuit, ut recte notat Rostius (Lex. Hom. Pind. p. 588.) et plerumque e speciosis metallis fabricatum est (Il. XI, 630. Od. X, 355.). Pro propria panis patina *κάνεον* habendum est nullo modo, nam non solum *οὐλοχύται* in sacris faciendis *ἐν κανέῳ* afferuntur (Od. III, 442. IV, 761.), sed etiam cibi cujusque generis lancibus imponuntur, sicut Il. XI, 630 seq. Atque etiam recisamenta, quae ad vescendum apta non erant in patinas conjiciebantur (Od. XX, 300.) quas vero viles et minus pretiosas fuisse existimo. Cum vasis, quae nominantur *κάνεα* confundere debemus nullo modo

ταλάρους πλεκτούς (Il. XVIII, 568. Od. IX, 247.), canistra in primis in rem rusticam instituta, quorum in speciem Helenae calathus ex argenteis et aureis filis compositus est (Od. IV, 125 131 seq.).

Non multa instrumenta necessaria erant ad comparandas carnes, quae semper inassabantur, quia coquendae carnis ratio illis temporibus ignota erat. Neque in sartaginibus collocabatur caro, ut coqui nostri faciunt, sed ad veru affixa ingni vel potius carbonibus candentibus (Il. IV, 212 seq.) admovebatur. Ad dissecandas carnes juxta ignem *κρεῖον* ponebatur (ibid. 206 seq.), quae est laniena et postquam particulae ad inassandum aptae factae sunt, immittebantur *ὀβελοί*, verua (ibid. 210.). Jam quale fuerit instrumentum *ὀβελός* ea de re mihi disputandum esse non puto, nonnulla vero addam, quae extant de etymologia hujus verbi. Nulla invenitur interpretatio satis firma, nam ea, quam interpretes instituere solent explicandi rationem (Eustath. ad Od. I, 156.) ortum esse verbum *ὀβελός* a verbo *βέλος* cum *o* praefixo, etsi fortasse recte sese habet, argumentis firmari non potest, qua de re verba facit Curtius Gr. Etym. II, p. 69—81. Cum verubus conjunguntur *κρατευταὶ*, de quibus loquitur Eustathius ad Il. IX, 214: *Κρατευτὰς δέ φασί τινες τῶν παλαιῶν τὰς τῶν ὀβελίσκων λαβάς-οἱ δὲ ἀκριβέστεροι* (ut Aristarchus, ap. Bekkerum in schol. ad Il. IX, 214.) *τοὺς κρατευτὰς λίθους νοοῦσιν, ἐφ' ὧν τὰ ἄκρα τῶν ὀβελίσκων ἐτίθεντο ἐν τῷ ὀπτᾶσθαι τὰ κρέα*, ubi Aristarchi sententiam praeferendam esse existimo. Verbum *πεμπώβολον*, quod commemoratur Il. I, 463. Od. III, 460 quodque significat instrumentum praecipue in sacris faciendis usurpatum, recte Heynius mihi videtur explicavisse in commentariis ad Il. I, 406 seqq. qui furcas illo verbo significari contendit ad continendas in strue et in locum reponendas carnes inter cremandum motu ex igne facto dissilientes. Carnes inassatae iterum dividebantur *εἰν ἐλεοῖσιν* (Il. IX, 215 seqq.), in mensis culinariis, de quibus dicitur ap. Athen. IV, 172, a: *Ἐλεὸς δ' ἐστὶν ἡ μαγειρικὴ τράπεζα.* Id bene quadrat in conjecturam, quam Bekkerus (in schol. ad Il. IX. 215) attulit vocem *ἐλεός* cohaerere cum verbo *ἑλεῖν*, quod Rostius (Lex. Hom. Pind. p. 361.) par esse censet verbo *διελεῖν*, id est dividere. Carnes postea imponebantur lancibus,

ut offerri possent cenantibus, quae commemorantur a poeta Od. I, 141. IV, 54:

δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας.

Jam luculenter Buttmannus (Ausführl. Grammat. I, p. 74 not.) explicavit verbum *πίναξ* idem esse atque *πλάξ*. Atque lignei heroicis temporibus *πίνακες* vitentur fuisse, ut ait Eustathius ad Od. I, 141: *πίνακες μὲν τὰ ἐπὶ τραπέζης ξύλινα σκεύη.*

Hae igitur mensae, quae vocantur *κρεῖον* et *ἐλεός* non in cenis, sed in praeparendis carnibus adhibebantur, unde colligi potest, simplices et inornatas eas fuisse, ut convenit rebus, quae in talem administrationem convertuntur. Nullo modo confundi debent *κρεῖον* et *ἐλεός* cum ea mensa, cui assidebant epulantes, quaeque *τράπεζα* vocatur. Non varium usum, qualem in sedilibus commemoravimus praebebat *τράπεζα*, sed ad cenandum expressim fabricata erat, quod ea negotia in quibus conficiendis nos quidem mensae commoditate carere non possumus Homericis heroibus ignota fuerunt. Formam mensae jam illis temporibus quadrupedem fuisse nomine *τράπεζα* proditum est, quae est brevior forma pro *τετράπεζα* (E. M. 763.) composita e verbis *τέτταρες* et *πεζός*. Oblongas fuisse mensas nonnulli docti viri (Terpstra: Ant. Hom. p. 155.) contendunt Eustathii (ad Od. I, 133, X, 370) auctoritatem secuti, quia de mensa dicitur: *ἐτάνυσσε* (Od. I, 138), *ἐτίταινε* (Od. X, 254.) *ἐπιπροΐηλε* (Il. XI, 628.), neque ulla caussa extat, ut hanc sententiam prorsus refellamus, at e verbis illis nullo modo colligere possumus, rem ita sese habere, quod ut recte monuit Nitzschius (ad Od. I, 138.) verba: *τανύειν*, *τιταίνειν ἐπιπροϊάλλειν* indicare tantum possunt, rem aliquam majorem esse, si in terra ponatur in longitudinem quam in altitudinem ad quam interpretationem confirmandam duo aptissima exempla (Od. IV, 135. XV, 283.) adjecit Nitzschius. Alia difficultas fit de mensae forma, nam ad magnitudinem ejus pertinet, si quaeritur, utrum unusquisque cenantium propriam mensam habuerit an pluribus communis ejusdem mensae usus fuerit, qua de re idem disputavit Nitzschius ad Od. I, 109 seq. Priorem sententiam comprobavit Athenaeus I, p. 13, d: *Ἑκάστῳ δὲ τῶν δαιτυμόνων παρ' Ὁμήρῳ παρατίθεται κάνεον καὶ τράπεζα καὶ δέπας* atque multis Homericorum carminum locis id confirmari videtur, nam complures mensae commemorantur in

conviviis adhibitae (Od. XV, 466, XIX, 61.) et interdum expressim narratur ad sedilia singulas mensas appositas esse (Od. X, 354.). Neque magnae fuerunt mensae, quibus usi sunt proci scutorum loco cum Ulixes tela in eos conjiceret (Od. XXII, seqq.). Nonnunquam vero hujus consuetudinis exceptiones nobis occurrunt, ita ut duo viri, vel hospites, quorum eximiam venerationem in talibus rebus animadvertimus unam mensam accipiant (Od. IV, 54.). Non firmam ea in re rationem in usu fuisse existimandum est neque anxie observationes spectatas esse. Pulchrae esse debuerunt mensae jam ob eam caussam, quod cum iis *θρόνοι* et *κλισμοί* speciosissimi componi solebant, quorum ad splendorem viles mensae aptae non fuerunt, Quare sedilium et mensarum communia epitheta extant: *ξεστός καλός*, *εὔξεστος* atque eundem in modum *ὀλίγη τράπεζα* pro exceptione habenda est atque qui apponitur *δίφρος ἀεικέλιος* (Od. XX, 259.). In Nestoris mensa notandum est (Il. XI, 629.) pedes fusco colore fuisse, unde illa *κυανόπεζα* nominatur.

Postquam convivia finita sunt ancillae maculas abluebant spongiis, quae vino et carnibus factae erant (Od. XX, 151 seqq. XXII, 438.), quae purgatio repetitur, antequam cenantes ad mensas assident a ministris, qui cibum et potum praeparant (Od. I, 111.).

Multa et pretiosa vasa extant, quae vino fruituris necessaria erant. Ac primum quidem commemorandus est mos antiquorum Graecorum et Romanorum vini aqua temperandi, quod incontinentes censebant merum potantes. Vini miscendi opus conficiebatur in cratere, cujus vasis nomen Romani acceperunt a Graecis, qui et *κρητήρ* et *κρατήρ* dicunt. Verbi *κρητήρ* origo ducenda est a verbo *κεραννῦσθαι*, non, ut Athenaeus (XI. 476, a.) vult a verbo *κέρας*, quod primi mortales cornibus biberint. Non ex eadem materia crateres omnes fabricabantur plerumque minus pretiosa metalla in crateribus quam in poculis adhibita videntur esse, nam multo majori metalli copia opus erat in construendis vasis mixtariis quam in potatoriis, quorum plura ex uno cratere implebantur, deinde ob eam caussam minus luxuriose crateres fabricatos esse existimo, quod ad miscendum tantum instituebantur. Itaque cum pocula aurea inter usitatissima vasa numeranda sint, craterum contra ex magno numero, qui invenitur in Iliade et Odyssea unus e puro auro

factus est, quo Achilles (Il. XXIII, 219.) amico mortuo Patroclo libavit. Jam frequentiores sunt argentei crateres, qui haud raro marginibus aureis ornati sunt, qualem Menelaus Telemacho offert Od. IV, 615 seq.:

δώσω τοι κρητῆρα τετυγμένον· ἀργύρεος δὲ
ἔστιν ἅπας, χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράανται·

Vulgata et communis, videtur fuisse poculorum aureorum et craterum argenteorum conjunctio, sicut Od. X, 356 seq.

ἡ δὲ τρίτη κρητῆρι μελίφρονα οἶνον ἐκίρνα
ἡδὺν ἐν ἀργυρέῳ, νέμε δὲ χρύσεια κύπελλα·

Vix commemorandi hoc loco sunt saxei nympharum crateres (Od. XIII, 105.), qui item atque *ἀμφιφορῆες λάϊνοι* sacra *ἀναθήματα*, sunt in antro nymphis sacrato. Quamquam modica est auri consumptio in conficiendis crateribus, nihilominus eximia pulchritudine illi erant, ut exempli caussa eum afferam, quem Achilles cursu ceteros superanti praemium posuit Il. XXIII, 742 seqq.:

ἀργύρεον κρητῆρα, τετυγμένον· ἓξ δ' ἄρα μέτρα
χάνδανεν, αὐτὰρ κάλλει ἐνίκα πᾶσαν ἐπ' αἶαν
πολλόν· ἐπεὶ Σιδόνες πολυδαίδαλοι εὖ ἤσκησαν.

Iisdem versibus docemur, quantam liquoris copiam crater capere potuerit et exiguus Achillis *κρητήρ* videtur fuisse et pretiosior ob speciosam formam, quam propter argenti pondus, nisi forte existimamus, nimium Maronis vas mixtarium fuisse (Od. IX, 209.), in quod praeter vinum viginti metra aquae infundebantur. Laudandum enim in modum Hermannus versus:

ἓν δέπας ἐμπλήσας ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
χεῦ, ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδει,

interpretatus est (cf. Nitzsch ad Od. IX, 209.) unum poculum vini additum esse tantae aquae copiae. Usque ad marginem implebatur crater, quoties vinum temperabatur, nam verba quae saepe iterantur in Iliade et Odyssea (Il. I, 470. Od. I, 149. al.):

κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο·

intelligenda non sunt de vera corona, ut recte notavit Athenaeus I, p. 13, d: *ἐπιστέφονται δὲ ποτοῖο οἱ κρητῆρες, ἤτοι ὑπερχειλεῖς οἱ κρατῆρες ποιοῦνται, ὥστε διὰ τοῦ ποτοῦ ἐπιστεφανοῦσθαι.* Vinum igitur ipsum, quod copiose vasi infusum

supra marginem prominebat coronam vel circulum efficiebat, qua de re uberius locutus est Buttmannus Lexil. I p. 99. Neque ad flores vivos spectat epitheton ἀνθεμόεις, quo Ulixes verbum κρητήρ illustrat Od. XXIV, 275. quodque aliis locis de veris floribus intelligitur, sicut Il. II, 467. Od. XII, 159 legitur: λειμὼν ἀνθεμόεις. Omnino cohaerere verbum ἀνθεμόεις cum verbo ἄνθεμον multi (cf. Eustath. ad Il. XXIII, 885.) negant; hoc adjectivum a verbo ἀνάθημα derivantes, ita ut ἀνθεμόεις par sit verbo ἀναθηματικός, quod parum recte interdum ἀναθεματικός (cf. Pape Lexicon p. 148.) scribitur. Sed artificiosiorem hanc interpretationem habeo et praeferendam eam, quam Bekkerus in scholiis e codice Bessarioneo protulit (ad Il. XXIII, 885): ἀνθεματιαῖον ἀπὸ τῶν ἐντετορευμένων ἀνθῶν, ἃ καὶ ἄνθεμα καλοῦσιν. Verbum igitur ἀνθεμόεις ortum est ob caelaturam, quae externae crateris formae inerat atque certe saepissime florum speciem artifices imitati sunt in caelaturis, qualia toreumata nostris quoque temporibus creberrime inveniuntur. Si quaerimus, utrum in cena complures crateres usurpati sint an unus crater etiam magno cenantium virorum numero suffecerit, occurrunt nobis loci in Homeri carminibus, qui inter sese pugnare videntur. Agamemnonis umbra Ulixi narrat Od. XI, 419 seq.:

ὡς ἀμφὶ κρητῆρα τραπέζας τε πληθούσας
κείμεθ' ἐνὶ μεγάρῳ.

ubi plures mensas et unum craterem commemorat Agamemno; eadem sententia probari videtur Od. II, 329 seq.:

ὄφρ' ἔνθεν θυμοφθόρα φάρμακ' ἐνείκη,
ἐν δὲ βάλη κρητῆρι καὶ ἡμέας πάντας ὀλέσση.

At collective his locis singularis numerus verbi κρητήρ intelligendus est, nam Penelopes procis pluribus in crateribus vinum temperatum esse saepissime demonstratur in Odyssea, sicut I, 110:

οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ.

et paullo post v. 148:

κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Neque fieri potuit, ut tantae virorum turbae, quanta procorum fuit, in uno cratere vinum temperaretur, item Agamemnonis sociorum fuit major numerus, quam ut singulare vas mixtarium vel ma-

ximum satis liquoris suppeditare iis potuisset. Magni momenti crater esse visus est heroica aetate, ita ut Hector cupidissime optet Il. VI, 528:

κρητῆρα στήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγάροισιν,

neque quisquam est, qui ignoret Hectorem totum oppidum, quod liberatum esse voluit, his verbis denotavisse.

Vinum aqua temperatum ministri poculis immittebant, quam administrationem ita eos confecisse existimo, ut προχόῳ, hirnea e cratere vinum haurirent, ex qua poculis infundebatur. Plerumque πρόχοος dicitur de hirnea, qua servae utebantur aquam circumferentes manibus lavandis, sicut Od. I, 136. IV, 52:

χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ παρέθηκε φέρουσα.

Aliter intelligendum est verbum πρόχοος Od. XVIII, 307:

πρόχοος δὲ χαμαὶ βόμβησε πεσοῦσα,

nam hoc loco πρόχοος idem est atque οἰνοχόη, ut e versu antecedente apparet:

ὁ δ' ἄρ' οἰνοχόον βάλε χεῖρα.

Commune poculorum nomen δέπας videtur esse, quare nihil offensionis praebet si promiscue idem poculum appellatur et δέπας et ἄλεισον (Od. III, 41. 53.) et κύπελλον (Il. XXIV, 255. 305.), quae latior verbi δέπας potestas nata est ex ea re, quod hoc caussam spectat, cum reliquae poculorum significationes ortae sint ob formam. Idem priores grammatici sensisse videntur qui verbum δέπας exstitisse putant (E. M. 256, 47.): παρὰ τὸ δέχω, δέχας καὶ δέπας, δι' οὗ δεχόμεθα τὸν οἶνον; sed recte sese non habet eorum etymologia, ut recentes viri docti intellexerunt. Cohaeret enim verbum δέπας (cf. Curtius Gr. Etym. No. 261.) cum verbo δάπτειν, unde etiam verbum δεῖπνον derivatur, et sicut δεῖπνον carnis divisionem significat, pariter ob distributionem vini δέπας nomen accepit. Usitatissimum epitheton verbi δέπας est ἀμφικύπελλος (Il. I, 584. VI, 220. al.), cujus adjectivi explicandi caussa liceat mihi, ut prius de verbo κύπελλον, quae est alia poculi significatio verba faciam. Unde factum sit, ut verbum κύπελλον significet poculum ea de re jam apud Athenaeum disputatum est XI, 482, e, sed clarius Buttmannus verbi κύπελλον sensum explicavit Lexil. I, p. 161. Ab eadem stirpe, a qua verbum κύπελλον originem duxit alia verba derivantur, quae omnia cava vasa indicant, sicut in Graeca

lingua *κύμβη*, in Latina cupa, in nostra Kübel, in Francogallica cuve et coupe, in Britannica cup. Quae verba maxima ex parte de capacioribus vasis dici solent quare quod minus quam ea est poculum *κύπελλον* deminutiva forma est. Quae si concedimus recta esse, ignorare non possumus, quo modo adjectivum *ἀμφικύπελλος* explicandum sit. Composita enim verba cum praepositione *ἀμφί* (quod verba declarant *ἀμφῶτος, ἀμφιστόμος*) rem significant, cujus contrariis in partibus, id quod alterum verbum notat invenitur, quare *δέπας ἀμφικύπελλον* est poculum, cujus superior et inferior pars *κύπελλον* efficit. Quae interpretatio epitheti *ἀμφικύπελλος* firmatur verbis Aristotelis, qui ut explicet apium cellarum formam locutus est Hist. anim. IX, 40: *περὶ μίαν βάσιν δύο θυρίδες εἰσὶν, ὥςπερ τῶν ἀμφικυπέλλων, ἡ μὲν ἐντὸς ἡ δ' ἐκτός.*

Homerus, qui heroicam aetatem eximiis divitiis praeditam ante oculos posuit, nullo modo oblitus est describere pulcherrima pocula, quae illis temporibus fabricabantur. In primis Nestoris poculum prae ceteris speciosum fuit, ut dignum videatur, de quo separatim verba fiant. Saepissime docti omnium temporum viri conati sunt (cf. Lehrs. Herod. p. 439 seqq.) hoc poculum ita describere, ut imago certa existeret, immo complures Homericam descriptionem secuti fingere id studuerunt, ut jam apud Athenaeum legitur XI, 781 d: *τὸ Νέστορος ποτήριον πολλοὶ κεραμεύουσι: πλεῖστοι γὰρ περὶ αὐτοῦ συνεγράψαντο.* Usque ad hoc vero tempus neque descriptio, neque imago exstitit, de qua satis certe contendere possumus poculum Nestoris secundum Homeri verba aliter fingi non posse. Quare cum desperem, me confecturum, quod ne doctissimis et praestantissimis quidem viris contigit, non in animo mihi est totum poculum describere, sed ea tantum, quae versibus illis poeta prodidit, quantum possum explicabo. Versus autem qui ad poculum Nestoris spectant, leguntur Il. XI, 632 seqq.:

πὰρ δὲ δέπας περικαλλές, ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιός,
χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον· οὔατα δ' αὐτοῦ
τέσσαρ' ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον
χρύσειαι νεμέθοντο δύω δ' ὑπὸ πυθμένες ἦσαν
ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
πλεῖον ἐόν· Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.

Athenaeus (XI, 488, c.) parum recte negavit verba *χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον* intelligenda esse de clavis ab artifice infixis, sed in exteriori poculi parte aureos umbones ita agglutinatos esse, ut speciem clavorum infixorum praeberent. Neque eorum laudanda opinio est, qui ornandi tantum caussa clavos veros infixos esse putant, nam quamquam aurei clavi admodum ornaverunt poculum, quod ob metalli splendorem probandum est, tamen aliam caussam potissimum spectabant. Notum est ante Rhoecum, qui circiter Olympiade tricesima quinta fuit (Pausan. VIII, 14, 5.) artem aeris fundendi in usu non fuisse, quare homines heroicae aetatis, qui multis annis ante hoc tempus vixerunt alia aeris fabricandi ratione uti debebant. Videtur Nestoris poculum metallicis laminis compositum esse, qua in construendi ratione clavi artificibus necessarii fuerunt quod alio modo singulae partes arcte conjungi non potuerunt. De verbis: *οὔατα δ' αὐτοῦ* et quae sequuntur apud Athenaeum (XI pp. 488—494.) sententiae admodum variae extant, neque nostris temporibus de eorum interpretatione viri docti inter sese consentiunt, imo nonnulli, ut difficultates expediant textum mutandum esse arbitrantur. Longum est omnes conjecturas de duplice fundo et de quatuor ansis hoc loco commemorare, quare proferam tantum ea, quae placuerunt Heynio (Comment. ad Il. XI, 632 seqq.) qui et simplici et probabili modo formam Nestoris poculi explicavit. Is enim conjecit *δύω πυθμένας* esse fundos duplicis cavi, quod Nestoris vas potatorium habuisset, quare illud poculum nihil aliud fuisse quam *δέπας ἀμφικύπελλον*. Ista Heynii sententia ea quoque re probatur, quod quatuor ansae commemorantur, quarum poculum, quod *ἀμφικύπελλον* nominatur, binas in superiore, binas in inferiore parte ob symmetriam habuisse verisimile est, cum in poculo aliter figurato duae ansae valde sufficiant. Ansae cuique binae columbae ex auro fabricatae agglutinatae erant admodum ingeniose ab artifice formatae, ita ut speciem praeberent pascentium. Ponderosum fuit illud poculum, ita ut nemo nisi Nestor facile illud tollere posset, quod factum est non solum ob magnam aeris copiam, sed etiam propter capacitatem vasis, quare prudenter a poeta adjicitur: *πλεῖον ἐόν*. Quod multum liquoris capere potuit poculum, non opus erat, ut vinum in cratere temperaretur, antequam in vas

potatorium immitteretur, sed Hecamede illam administrationem in ipso poculo conficit (v. 638 seq.) quod contra morem non erat, nam etiam Circe Ulixi vinum miscet χρυσέῳ δέπαι (Od. X, 316). Haud minus magnificum quam Nestoris poculum, quod descripsisse magna cum delectatione poeta videtur Achillis vas potatorium (Il. XVI, 221 seq.) fuisse existimandum est. Nulli mortali viro praeter Achillem licebat ex hoc poculo haurire, et uni Jovi illo libavit filius Pelei, quod reliqui Dii tanto honore digni non videbantur. Neque id pro superbia habendum est, perinde ac si Achilles ob Jovis favorem alios Deos neglexerit, sed animi simplicitas illorum temporum conjuncta cum eximio Deorum colendorum studio effecit, ut potestatem numinis quod honoraturi erant heroes etiam in rebus ad cultum divinum spectantibus repraesentare sese debere crederent. Quare secundum eorum opinionem majori honore affectus est Jupiter, si illud poculum in proprium ejus cultum reservabatur, quam si numinis cujusque sacrificia eodem poculo confecta essent. Huic Deorum reverentiae optime convenit diligentia quam ponit Achilles in purgando et conservando poculo, quod aliis in poculis ministris conveniebat munus (Od. XX, 152 seq.). In cista pulchra et artificiose facta poculum reponitur, neque ut saepius fit (Od. XV, 466 seqq.) omnium adspectui objicitur. Ad sacrificium spectat, si poculum sulphure infumatur, quod Diis jucundissimum fuit, ut nomen θεῖον indicat, arctissime cohaerens cum verbo θεός.

Praeter haec duo et Achillis et Nestoris vasa potatoria, multa alia erant pocula in possessione Homericorum heroum, quae magni pretii aestimanda sunt, nam plerumque aurea fuerunt (Il. XXII, 196. Od. XVIII, 121.). Verisimile est etiam argentea et aenea pocula in usu fuisse, ut in Nestoris poculo suspicare possumus, laminas, quae δέπας efficiebant aureas non fuisse, quia expressim dicitur columbas et clavos ex auro factos esse. Hic vero aliud metallum adhibitum non est, ut compendium auri fieret, sed illorum temporum opifices tam rudes non erant, ut ignorarent bonum adspectum e compositione diversorum metallorum natum, cujus rei exemplum est scutum Achillis (Il. XVIII, 478 seqq.).

In regum conviviis pro honore habebatur vino plenius

poculum accipere, quo modo Diomedem a Graecis, a Lyciis Glaucum saepius honoratos esse proditum est Il. VIII, 162. XII, 311. Benevolentis animi erat indicium, si quis alteri propinabat, cujus moris haud raro in Iliade et Odyssea mentio fit, ut Il. IV, 3 seq. Il. IX, 224. Parum recte Athenaeus (I, p. 14, a.) formas *δειδέχαται* et *δείδεκτο* a verbo *δέχεσθαι* derivavit, quae a verbo *δείκνυσθαι* descendunt (cf. Buttmann, ausführl. Grammat. II, I p. 102, not. 2.),

Verba, quibus utitur Menelaus Telemacho poculum tradens Od. IV, 591. itemque sermo Alcinoi Aretem uxorem jubentis, Ulixis xenia in cista reponere Od. VIII, 430 seqq. demonstrare videntur *ἄλεισον* esse poculum in nullam aliam rem, nisi in libationem institutum. Quae sententia quamquam praeterea firmatur Il. XI, 774, sustineri tamen non potest quod etiam *ἄλεισον* nominatur poculum, ex quo haurire solet Antinous Od. XXII, 9 seqq. Perperam verbum *ἄλεισον* interpretatus est Pollux, Onom. VI, 97; *τὸ δὲ ἄλεισον Ὁμηρικὸν μέγα ἦν ἔκπωμα κληθὲν ἐκ τοῦ ἄλις πιεῖν* et magis laudanda videtur sententia Eustathii ad Il. XXIV, 429: *ἀρέσκει δὲ τοῖς πλείοσιν ἀπὸ τοῦ λεῖον γενέσθαι πλεονασμῷ τοῦ σ μετὰ τοῦ ᾱ στηρετικοῦ ἢ ἐπιτατικοῦ, τὸ μὴ λεῖον ἀλλὰ περιφερὲς ἢ ἐμπαιστὸν ἢ τὸ ἄγαν λεῖον.* Non ᾱ intensivum est, qnod ad verbum *λεῖον* apponitur, sed potius ᾱ privativum, quam interpretationem ante oculos habuisse videtur Virgilius Aen. IX, 463:

Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula.

Nomen igitur *ἄλεισον* accepit a caelatura in exteriore ejus parte adhibita, quae ornamenta, ut in prioribus dictum est illorum temporum opifices minime ignorabant. Loco supra citato (Od. XXII, 9.) *ἄλεισον* vocatur *ἄμφωτον*, quod adjectivum ad ansas spectat, quae in ponderosioribus vasis necessariae erant ob commodiorem elevationem. Modica interdum *ἄλεισα* construebantur, qualia a serva rapiuntur Od. XV, 469 seq.

Jam quae descripta sunt pocula luxuriose facta erant, id quod desideramus in iis vasis potatoriis quae tractanda restant. Haec ut utilitatem tantum spectabant e vili materia fabricata esse verisimile est. Qua in re congruunt omnes interpretationes, quae institutae sunt a viris doctis de verbo *κισσύβιον*, etsi

fere unusquisque eorum propriam rationem sequitur, qua nomen illud explicet. Quarum etymologiarum magnum numerum attulit Athenaeus XI, 477, quarum prae ceteris Eumolpi interpretatio laudanda est de qua haec sunt Athenaei verba: *Εὔμολπος δὲ γένος τι ποτηρίου, ἴσως, φησί, κατ' ἀρχὰς ἐκ κισσίνου κατασκευασθὲν ξύλου.* Cum agrestium virorum proprium esset poculum *κισσύβιον* simplex et inornatum extabat, quae quidem minus perfecta constructio etiam ad ansarum numerum pertinuisse videtur, nam cum alia pocula duas ansas habere soleant, poculum, quod nominatur *κισσύβιον* expressim docemur (Philemon ap. Athen. XI, 496, f.) *μόνωτον ποτήριον* fuisse (cf. Tischbein, Hom. Zeichnungen Vol. IV.). Satis capax habendum est illud *κισσύβιον*, in quo Ulixes Cyclopi vinum offerebat (Od. IX, 345.), ita ut ter exhausto illo vel nimia Cyclopis natura labefactaretur. Aliud ejusdem vasis *κισσυβίου* nomen est *σκύφος*, ut demonstratur promiscuo usu Od. XIV, 78. 113. De genere verbi *σκύφος* uberrime locutus est Athenaeus (XI, 498.), qui multa exempla affert, quorum alia generis masculini, alia generis neutrius esse illud verbum nobis persuadent. Et pro verbo quidem neutrius generis recentius aevo Homerico usurpatum est nomen *σκύφος*, quare accuratiores (Aristarchus, Wolfius) legunt Od. XIV, 113: *καί οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφον.* Radicem verbi *σκύφος* eandem esse dicunt viri docti (cf. Rost. Lex. Hom. Pind. 1037.) atque verbi *κύπελλον*, ubi adjecta est littera *σ*, ut saepe litterae *σκ* pro simplici littera *κ* inveniuntur (cf. Curtius Gr. Etym. II, p. 262.). Athenaeus loco supra citato commemorat, nonnunquam poetas scripsisse *σκύπφος* pro *σκύφος*, quae aucta forma ob metrum ab illis instituta est.

Jam inter minima pocula *κοτύλη* numerari potest (Il. XXII, Od. XVIII, 12.), ita ut in Homericis carminibus de exiguo vini haustu dicatur (Bekker. schol. ad Il. XXII, 494: *ὁμωνύμως τὸ ἀγγεῖον τῷ ὑγρῷ.*). Satis notum est posterioribus temporibus verbum *κοτύλη* plerumque eam speciem mensurae rerum humidarum et aridarum significare, quae etiam *ἡμίνα* vocatur, neque de ea re disputandum mihi esse existimo hanc vocem Il. V, 305 seqq. de acetabulo, circa quod coxendix vertitur intelligendam esse, ubi poetae verbis quisque admodum luculenter instruitur.

Persaepe laudatur in Iliade et Odyssea vinum ob aroma-

ticum odorem et jucundum saporem, quod ut fieret, nullo modo sufficiebat vini excellentia, sed accedere ad id debebat accuratissima servandi ratio. Quam in rem magna vasa construebantur, de quibus, cum finis factum sit vasorum potatoriorum tractandorum disserendum esse videtur. In Odyssea (II, 340.) legimus Telemachum cum Euryclea in cellam penariam progressum esse, ubi per longum tempus servati sunt *πίθοι οἴνοιο ἡδυπότοιο.* Lignea dolia heroes ignorasse videntur, quod vasis fictilibus vinum condebatur, qui mos diu servatus est (cf. Lessing Collectan. zur Litterat. unter Diogenes.). Nullam differentiam interesse existimo inter *πίθον* et *κέραμον*, quam testae significationem invenimus Il. IX, 469, quodque verbum, ut recte animadvertit Müllerus (Arch. §. 410. not. 4.) de carcere intelligendum est Il. V, 387: *χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.* Foramen testae ad immittendum vinum claudebatur operculo, quo confundendum est nullo modo *κρήδεμνον* (Od. III, 392) is est annulus, quo firmatur operculum (cf. Nitzsch. od. Od. III 390 seqq.). Non solum vinum, sed etiam alias res testis servatas esse, docet singularis usus, in quem a Jove eae convertuntur (Il. XXIV, 529 seqq.). Formam *πίθων* sive *κεράμων* non quadratam, sed potius rotundam fuisse, e rei natura apparet, quare Eustathius ad Il. XXIV, 527: *οἱ δὲ Ὁμηρικοὶ πίθοι πρὸς ὁμοιότητά τινα σφαιρώσεως ἐπλάσθησαν.*

Proficiscentes, quoniam magna vasa fictilia difficile portari potuerunt vinum secum ducebant in amphoris, sicut Telemachus Od. II, 349, atque in utribus, qualem accipit Nausicaa a matre Od. VI, 78 seq. Et in marino quidem itinere amphorae usurpatae videntur esse, contra si quis terrestri via utebatur, utres aptiores erant. Nam amphorae ob fragilitatem perpetuos currus motus sustinere non potuerunt, quod timendum non erat, si impositae sunt navibus, quarum cursus aequabilis est; utres vero e coriis conserti, etsi satis firmi erant, ut inconstanti curruum cursui resisterent, in navigatione utiles non erant, cum humido maris aere laederentur et vinum corrumperetur. Quod quidem nullo modo refutatur exemplo Ulixis, cui per mare profecturo a Calypsone (Od. V, 265.) *ἀσκὸς μέλανος οἴνοιο* dono datur, quod infirmum ejus navigium ad diuturnum iter accommodatum non erat. Quae supra de crateribus

saxeis nymphanum dicta sunt, eadem cadunt in saxeas earum amphoras, de aureis vero amphoris (Il. XXII, 92.) postea erit locus dicendi. Utres erant coria, plerumque caprina, quae sutura conjungebantur (Il. III, 247. VI, 78. al.), unde etiam, vocantur δέρματα πυκινά (Od. II, 291.) et εὐραφέες δοροί (Od. II, 354.). Cum praecipue ad vinum excipiendum utres compositi videantur, nihilominus eorum usus in aliis rebus reservandis spectatur, sicut Od. II, 291. 354. X, 19. 45. 47.

Gentes earum terrarum, quae ad meridiem vergunt ob calorem lotiones frequentes instituere solent, quae partim totum corpus curant, partim singulis corporis partibus admoventur. Cujus rei utilitatem et necessitatem jam Homerici heroes intelligebant, et in primis ante cenas lotionibus utebantur, sicut Diomedes et Ulixes a speculando reversi Il. X, 572—579. Et Ulixes quidem et Diomedes non bene carere potuerunt totius corporis ablutione, nam opus confecerunt, quo cruore et pulvere valde inquinati erant, quare in fluctus maris descenderunt et praeterea sese, quod mirum fortasse nobis videtur aqua calida purgaverunt. Quam alteram lavationem Nitzschius (ad Od. IV, 48.) ad pedes refert, ut omnino podaniptra saepissime instituenda erant Homericis heroibus, quod pedes, cum illis temporibus calceamentorum usus ignoraretur multiplici illuvie inficiebantur. Hanc maximam fuisse caussam, neque ut recentiores Graeci Romanique fecerunt quotidianae voluptatis caussa homines heroicae aetatis lavatos esse, labri nomine ἀσάμινθος firmatur, quam vocem grammatici (E. M. p. 151. 52.) derivant: παρὰ τὸ τὴν ἄσιν, ἤγουν τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, μινύθειν. Haud raro ἀσάμινθοι vocantur εὔξεστοι (αι), quod ligneae esse solebant, nam argentea labra, quae Menelaus accepit a divite Aegyptio (Od. IV, 128.) pro exceptione habenda sunt, sed parum recte Pollux (Onom. VI, 99) de poculis sermonem esse arbitratus est. Probabilis Vossii sententia videtur in Ulixis aedibus proprium lavandi cubiculum institutum esse, ubi in pluribus soliis, quod quidem docet pluralis numerus ἀσάμινθοι (Od. XVII, 87.) proci sese abluebant. Aqua, nam frigida in lotionibus idonea non videbatur calefiebat in tripodibus et lebetibus, quorum magnus numerus eum in usum adesse solebat. Quod attinet ad verbum τρίπους, nemo est, qui ignoret

propter pedum numerum nomen illud institutum esse, pariter atque ob quatuor pedes mensa τράπεζα nominata est. Cum omnino verbum τρίπους, ut docet Diodorus Siculus (XVI, 26: τρίπους μηχανή ἐστι τρεῖς βάσεις ἔχουσα.) instrumentum quodque significare possit, quod tribus pedibus sustinetur, in Homeri carminibus τρίποδες proprie sunt ii tripodes, qui supra ignem ponuntur aquae fervefaciendae caussae. Haec instrumenta efficiebantur, ut aut agglutinarentur tres pedes ad aenum aut conjungerentur pedes cingulo, cui alterum tripodum generi lebetes aqua impleti imponi solebant (cf. Böttigers Amalthea III B. S. 23.). Aeneus fut tripus, ut necessarium est in instrumento, quod frequenter igni admovetur, cujus rei exemplum est Od. X, 359 seqq. Cum crebro usu tripodes, qui omnino dicuntur ἐμπυριβῆται (Il. XXIII, 702.) quod quasi ignem ascendunt et λοετροχόοι (Il. XVIII, 346. Od. VIII, 435.), quod aquam calefaciendam recipiunt, deteriores fierent, sejuncti sunt a poeta τρίποδες ἄπυροι, qui igni tacti non erant ab iis, qui ad coquendum jam adhibiti erant qua de adjectivi ἄπυρος potestate luculenter disputavit Ussingius (de nom. vas. p. 94.) Quam cum sequar rationem in interpretando verbo ἄπυρος, laudare non possum eorum opinionem, qui τρίποδας ἀπύρους intelligunt de genere quodam anathematum, ad quam sententiam adducti illi videntur, quoniam dicitur de tripodibus a Vulcano fabricatis Il. XVIII, 374:

ἑστάμεναι περὶ τοῖχον ἐϋσταθέος μεγάροιο·

Neque in illis quidem tripodibus illorum sententia refutari potest, nam difficillime omnino dijudicatur, cujusmodi ii tripodes fuerint, in quibus describendis poetae magis interesse videtur, ut eximia Vulcani ars ante oculos ponatur, quam ut de tripodum constructione certiores fiamus. Jam concludi potest eorum tripodum, qui a poeta pro argumentis divini artificii commemorantur similem quandam speciem etiam hominum in possessione fuisse, cujus vero mentio non fit in Iliade et Odyssea, quaeque verbo ἄπυρος nullo modo significari potest. Neque epitheton περικαλλής (Od. XIII, 217) ad τρίποδας ἀναθηματικούς referendum est, sed fere idem significat hoc loco verbum περικαλλής atque ἄπυρος, indicat enim tripodes novos, fulgentes, splendidos fuisse, id quod saepius quoque adjectivo αἴθων exprimitur (Il. XXIII, 233.). Ansae, de quarum usu

disputatum est, ubi de poculis tractavi in tripodibus deesse non potuerunt, quia aqua impleti ponderosi illi erant (cf. Il. XXIII, 264.) quodque flammis fervefacti ab igni removeri sine illis adjumentis non potuerunt. Ob *οὔατα* sive *ὦτα*, ita enim ansae vulgo nominantur adjectivum *ὠτώεις* verbo *τρίπους* apponitur Il. XXIII. 264.

Alia vasa, quae praeter tripodes ad coquendum et calefaciendum instituuntur sunt lebetes, non sicut illi pedibus exstructi, sed quoties in usum veniunt componuntur cum iis tripodibus, quibus aena affixa non sunt. Poeta, ubi certamen Xanthi fluminis et flammarum a Vulcano motarum describit, comparationem facit cum lebete adipe fervente impleto Il. XXI, 362 seqq. Si minor quidem (cf. Il. XXIII, 264. 268.) et ob id vilior lebes quam tripus fuisse videtur, plerumque enim, ubi lebetes et tripodes xenium aut aliud donum efficiunt, illorum numerus multo major esse solet (Il. IX, 123. XXIV, 233.) nihilo minus tamen lebetes exigui pretii habendi non sunt, ut exemplum est ille lebes, quem Achilles hastae vibratione reliquos superanti promittit Il. XXIII, 885 seq. Ibidem verbum *ἀνθεμόεις*, de quo supra disputavi demonstrat hunc lebetem caelatura ornatum fuisse, neque mirari debemus, quod est iste lebes, ut apparet ex verbo *ἄπυρος* vas coquinarium, cum jam antea spectata sit Achillis rerum eximie pretiosarum (Il. XXIII, 741 seqq.) abundantia. A lebetibus, qui ad coquendum usurpantur sejungendae sunt eae pelves, quarum usum ex Odyssea cognoscimus quaeque et ad manus (Od. I, 136 seq.) et ad pedes (Od. XIX, 386.) lavandos adhibentur. Non carere potuerunt homines illis temporibus crebris manuum lotionibus in cenando, quod antiqui Graeci furcillas non habebant, sed cibum et carnes digitis prehendebant. Ut in nostro loco (Od. I, 136) etiam multis aliis locis (Od. IV, 53., VII, 173. al.) argenteus est lebes et hirnea aurea, quem luxum communem hominibus locupletibus fuisse existimo, In memoriam nostram redeunt Menelai *ἀργύρεαι ἀσάμινθοι*, si aeneus lebes ad Ulixis podaniptra instituitur Od. XIX, 386., nam dubitare non possumus, quin ille forma fuerit simillima argenteorum Menelai labrorum.

Minoris pretii quam *λέβης* esse solet *φιάλη*, quod firmatur Il. XXIII, 267 seqq.:

αὐτὰρ τῷ τριτάτῳ ἄπυρον κατέθηκε λέβητα,

v. 270: *πέμπτῳ δ' ἀμφίθετον φιάλην ἀπύρωτον ἔθηκεν,*

nam cum ille sit tertium pretium, pro quinto pretio cursus equestris *ἀμφίθετος φιάλη* ponitur ab Achille. In Homeri carminibus raro legitur verbum *φιάλη*, nam hoc loco excepto semel hujus vasis mentio fit Il. XXIII, 243, ubi *ἐν χρυσέῃ φιάλῃ* conduntur ossa mortui Patrocli. Saepissime vero posteriores scriptores *φιάλην* commemorant, sicut Pind. Nem. X, 43: *οἰνηρὰς φιάλας* Od. VIII, 1 seq.; *φιάλαν ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοισαν δρόσῳ.* Ad libandum instituitur *φιάλη* Plat. Critias 120. a: *χρυσαῖς φιάλαις ἐκ τοῦ κρατῆρος ἀρυτόμενοι κατὰ τοῦ πυρὸς σπένδοντες ἐπώμουσαν δικάσειν κατὰ τοὺς ἐν τῇ στήλῃ νόμους.* Quibus exemplis instruimur *φιάλην* posteriore tempore usitatum poculum fuisse, cujus forma clipei similis erat, quare non injuria anathema a Tanagraeis dedicatum *ἀσπίς* vocatur (Pausan. V, 10, 2.), cujus nomen in epigrammate *φιάλη* est. Quod Homeri quoque temporibus phialam poculum fuisse censebant, ut ait Eustathius ad Il. XXIII, 229 *ποτηρίου δ' ἦν εἶδος*, quodque id nomine expressum esse judicabant, fere omnes, qui de hoc verbo scripserunt citare solent Asclepiadae verba ap. Athen XI, 501, b: *ἡ μὲν φιάλη κατ' ἀντιστοιχίαν ἐστὶ πιάλη, ἡ τὸ πιεῖν ἅλις ἔχουσα.* Myrleanus vero de poculo intellexisse non videtur verbum *φιάλη*, quare continuat sermonem: *μείζων γὰρ τοῦ ποτηρίου.* Et Homerum aliud quid atque vas potatorium significare voluisse jam Aristarchus animadvertit (Aristonicus ed. Friedlaender p. 330.): *ὅτι φιάλην οὐ τὸ παρ' ἡμῖν ποτήριον, ἀλλὰ γένος τι λέβητος ἐκπέταλον.* Simile quid legitur apud Athenaeum XI, 468., d, ubi sententia Didymi: *φιάλην ἔκπωμα εἶναι* rejicitur: *ἐστὶ δὲ χαλκίον ἐκπέταλον λεβητῶδες, ἐπιτηδείως πρὸς ὑδάτων ψυχρῶν ὑποδοχός.* Obtineri omnino non posse existimo opinionem Homericam *φιάλην* de vase ad potum pertinente intelligendum esse quare Asclepiadae etymologia probanda non est verbum *φιάλη* cohaerere cum verbo *πίνειν*· qua de re disputavit Curtius Gr. Etym. II, p. 90. Equidem non audeo certam verbi *φιάλη* interpretationem statuere itaque contentus esse debeo in describenda phiala iis quae in Homeri carminibus ad verbum *φιάλη* inveniuntur spectantia. Jam nostro loco (Il. XXIII, 270.)

nominatur *φιάλη ἀμφίθετος*, cujus verbi interpretationes maxime variae extant, quae leguntur ap. Athen. XI, p. 501. Ex omnibus his conjecturis nulla mihi placet, nisi quae tertio loco posita est a deipnosophista: *τινές δέ φασιν, ὃν τρόπον ἀμφιφορεὺς λέγεται, ὁ ἀμφοτέρωθεν κατὰ τὰ ὦτα δυνάμενος φέρεσθαι, οὕτω καὶ ἀμφίθετον φιάλην.* Parum recte enim mihi videtur Athenaeus (ibid.) alterum verbi *φιάλη* epitheton *ἀπύρωτος* interpretatus esse verbo *ψυχρήλατος* et Ussingii sententiam laudandam esse existimo (de nom. vas. p. 94.): „Est enim *ἄπυρος* Homero idem atque *ἀπύρωτος* i. e. igni nondum admotus, novus.“ Sane igitur *ἀπύρωτος* indicat id, quod quamvis in eum usum constructum sit, ut supra ignem ponatur, nondum adhibitum est; quodsi igni admoveri solebat phiala, ansis, quae quam necessariae sint jam supra in tripodibus vidimus phialam exstructam fuisse verisimile est et *ἀμφίθετος* idem indicat atque *ἀμφιφορεύς*. Huic sententiae bene convenit quod eadem *χρυσέη φιάλη*, in qua conduntur Patrocli ossa (Il. XXIII, 243. 253.) ab umbra Patrocli *χρύσεος ἀμφιφορεύς* nominatur (Il. XXIII, 92.) nisi forte existimamus Achillem adversus amici mandatum aliud aureum vas adhibuisse. Quae cum argumenta extent, concludi possumus Homericam *φιάλην* fuisse usitatum vas coquinarium, cui duae ansae affixae essent atque similem in modum Patrocli urnam constructam fnisse.

Jam cum mentio facta sit consuetudinis heroicae aetatis corporis lavandi atque vasa, quae ad hoc negotium spectant descripta sint, facere non possum, quin pauca addam de unctione, quam conjungere veteres cum lavatione solebant (Il. X, 576 seqq.). Et de oleo quidem in unguendo abhibito luculenter disputavisse mihi videtur Terpstra Ant. Hom. p. 184. §. 5. ad quod condendum, erat enim suavissimum, aurea vasa in usu erant. Lagenae species fuit *λήκυθος*, quod nomen recte interpretantur grammatici (E. M. p. 563, 40.); *τὸ προχούδιον παρὰ τὸ ἔλαιον κεύθειν* nam et Homerico aevo (Od. VI. 79 seq. 215.) et posterioribus temporibus *λήκυθος* ad oleum reservandum instituta est.

Sed haec habui, quae de supellectili in Iliade et Odyssea illustranda exponerem.

VITA.

Carolus Augustus Franziscus Theodorus Vogel natus sum a. d. III Non. Jul. A. h. s. XXXIX Tauchae in districti Merseburgensis vico. Illic Augustus Vogel pater meus sacerdos erat, Guilelmina mater e gente Hoffmanniana jam ante hos duos annos morte abrepta est. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis domi imbutus fere XIV annos natus gymnasium Islebiense per duos annos frequentavi. Deinde Halas me contuli, ubi discipulus fui gymnasii orphanotrophei per quatuor annos post quod tempus maturitatis testimonio instructus sum. Et prioribus quidem annis Jenae et Halis studio theologiae vacavi, deinde per tres annos G. Bernhardy et Theod. Bergk auspiciis antiquitatis studio me dedi, ut non solum eos publice legentes audirem, sed etiam seminariis philologicis ab iis moderatis per tria semestria sodalis ordinarius interessem. His prae ceteris gratias refero maximas, praesertim Professori Bergk, qui in societatem philologicam me recepit semperque grato et pio animo virorum doctissimorum memoriam retinebo.

THESES.

I. Tacitum Tiberii mores inique descripsisse contendo.

II. Non Hermanno assentior Euripidis Hippolyti versus 1143—1150 in formam strophae et antistrophes redigendos esse.

III. Ethicam non a Pythagoreis, sed a Socrate demum originem duxisse contendo.

IV. Librum, qui inscribitur „Ἀθηναίων πολιτεία“ non a Xenophonte, sed jam initio belli Peloponnesiaci ab auctore ignoto conscriptum esse censeo.